



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De diuersis animarum receptaculis post mortem. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

DE DIVERSIS ANIMARVM RECEPTACVLIS,  
DISTINCT. XLV.

*Aug. tract.  
49. ad illud  
Ioan. 11. La-  
zarus ami-  
cus noster  
dormit, t. 9.*

*Aug. 109.  
in Ench.*

*In Ench. ca.  
110. conti-  
nue.*

*Rom. 14. b*

PRæterea sciendum est, quod omnes animæ (vt ait Aug.) cum de hoc seculo exierint, diuersas habent receptiones: bonæ habent gaudium, malæ vero tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Ex his ostenditur, q̄ maius erit gaudium sanctorum in resurrectione & post, quam fuerit ante: & q̄ diuersa receptacula habebunt animæ sanctorum. De quib. idē Aug. ait, Tempus quod inter hominis mortē & vltimam resurrectionē interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæq; digna est vel requie, vel erumina, pro eo, quod sortita est in carne, dum viueret.

## De suffragiis defunctorum.

Nec negandum est, vt ait Aug. defunctorum animas pietate suorum viuētium releuari, cum illis sacrificium mediatori offertur, vel elemosinæ sunt in Ecclesia. Sed hæc eis tantum profunt, qui cum viuerent, hæc sibi, vt postea possent prodesse meruerunt. Est n. quidā viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non profint ista quidquā. Est vtriusque talis in bono, vt ista non requirat: & est rursum talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quisquam grauari vel releuari. Nemo a. speret quod hic negligit, cum obierit apud Deum promereri. Non ergo ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolice sunt aduersa sententiæ, quæ dictum est. Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; secundū ea, quæ per corpus gessit, scil. bona vel mala: quia etiam hoc meritum sibi quisq; cum in corpore viueret, comparauit.